

Dissertatio medica publica de vena portae, ... / praeside Joh. Mauricio Hoffmanno ... subjiciet ... MDCLXXXVII. Johannes Guilielmus Ayrer ... autor.

Contributors

Ayrer, Johannes Guilielmus, active 1687-1688.
Hoffman, Johann Moritz, 1653-1727.

Publication/Creation

Altdorfii : Literis Schöningerstædtianis, [1687]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a2bf6kv2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. F. N. G.

DISSERTATIO MEDICA PUBLICA

De

VENA PORTÆ,

QVAM

PRÆSIDE

MAGNIFICO p. t. Vniversitatis
RECTORE

DN. JOH. MAVRICIO
HOFFMANNO,

Philosophiæ & Medicinæ Doctore,
Chemiæ atq; Anatomiæ Professore Publico,
& S. R. I. Academico Curioso d. Heliodoro,

DNO PATRONO, ac PRÆCEPTORE suo multis
nominibus devenerando,

Placidæ Philiatrorum disquisitioni subjiciet

ad d. XXII. Junii

A. E. C. clc loc LXXXVII.

JOHANNES GUILIELMVS AYRER

Norimbergensis,

AVTOR.

ALTDORFI

LITERIS SCHÖNNERSTÆDTIANIS.

Е

Д. Е. Г. О.

СИКИЯМУ СИКАЛАМУ

СИКИЯМУ

3623

СИКИЯМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ

СИКАЛАМУ СИКАЛАМУ



PRÆSES

Genere Virtute & Eruditione florentissimo

DN. AVTORI RESPONSVRO

S. P. D.

Ingenio fœcundo ubi pro-
ba voluntas nupserit, ani-
mi partus noñisi perfectos
& elegantes futuros esse, con-
stans sapientum opinio fert: quæ
ipsa tantum abest, ut in Te, mi AY-
RERE, fallat, ut potius ad amuſſim re-
pondeat. Nempe enim cùm divinâ
virgulâ Tibi obtigerit ingenii fa-
cultas uberrima, eidemque bonæ
mentis soror connubio sese junxe-
rit stabili, favente Lucinâ primum
enixus es eruditioris fœtum pul-
chrum mehercle & expolitum: De

(o)

hoc autem non Tibi solùm gratu-
lor, secundùm Ægyptiorum & Sinen-
sium leges in artes paternas succe-
denti, sed & Honoratissimo Dn. PA-
RENTI Tuo, Medico famâ meritisq;
πολλῶν ἀνταξίων ἀλλῶν, vel hoc nomine feli-
cissimo, quòd genuerit filium PA-
RENTIS (ut Symmachiverbis utar,) decora imitantem. Maestte A Y R E R E eruditè docte eo animo, persevera- uti cœpisti, & quantum potes per doctrinæ templum ad honoris ar- cem propera; en patet PORTA, à Te solerti industriâ reclusa ! Sic ego currentem hortor, Divos autem precor, ut indolem hanc diu serven incolumem, & insitam ingenio Tu virtutem in majus provehant. B. V. Dab. Altdorfi è Museo d. XII. Juni A. E. C. clo Ioc LXXXVII.

I. N. S. S. T.

Proœmium.

Admirari solet ignobile vulgus simulacra ex Paro lapide aut aliâ idoneâ materiâ à peritâ artificis manu elaborata, quæ exterius quidem, quæ oculorum conspectum subeunt, affabre ornata, intus autem rudia inexulta ac impolita sunt. Nam verò in admirationem potius rapiuntur sapientes, corpori humano animum æquè ac oculos advertentes, hoc etenim externâ non tantum fere commendat pulchritudinis specie, verùm interiorum etiam partium summum decus, exquisitam proportionem, ac ineffabile Divini Conditoris artificium ostendit: Scitè ergò Galenus lib 17. de usu partium cap. i. an Polycletum inquit, jure admirabimur? propter partium statuæ (quæ canon i. e. regula fuit appellata) convenientiam ac proportionem, naturam autem non modò non laudabimus, sed omni etiam arte privabimus? quæ partium proportionem, non solum extrinsecus more statuariorum, sed in profundo etiam servavit.

Introite Vos, queiscung manus oculata sunt, credentes quod vident, Anatomicorum Theatra, (nam & hic Dii sunt,) & cognoscetis in corpore humano opere maxime subtili curiosè reflecto μέρεον απότων καὶ διαμάτων, in quo supera inferis, immortalia mortalibus mirabili hymeneo summus opifex conjunxit. Introite, ideo quippe curiosum vobis natura ingenium dedit, & artis sibi ac pulchritudinis sue conscientia spectatores vostantis corporis humani spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tamen magna tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida & non uno genere formosa solitudini ostenderet. Dies me deficeret, nec circumscripti chartarum limites caperent, si quæ ibi conspectum subeunt,

subeunt, hic recensere vellem. Adducam proin hāc vice saltem in
 scenam VENAM PORTÆ, & quām artificiosa ejus structura,
 ordinata per viscera imi ventris, individui conservationi desti-
 nata, distributio, ususq; multiplex sit, declarabo. Xerxem equi-
 dem ridendum esse olim censuit Älianuſ l. 2. variarum histor.
 c. 14. quod, cūm mari terrisq; foris operibus posthabitit, nova
 itinera & insolita navigationem sibi parâfset, serviverit Pla-
 tanuſ, & arborem coluerit ; in Lydia enim, ut rumor tert, cūm
 vidisset proceram Platanum, integrum diem ibi commoratus
 est, nullâ postulante necessitate, & castra posuit in solitudine
 circa Platanum, sed & multiplicem ac pretiosum ornatum
 ex ea suspendit, torquibus armillisque ramos veneratus, &
 Curatorem ei reliquit quasi custodem, & propugnatorem A-
 masix. Ego autem tametsi circa VENAM PORTÆ, radici-
 bus hinc inde sparsis luxuriantem, largè lateq; sese diffundentem
 ramis, arbori ideo à Galeno in libro de Venarum Arteria-
 rumque dissectione cap. 1. expreſſe assimilatam, considere, caſtra
 meditationum ibi metare, eandem verbis colere, multifariamq;
 utilitatem, quam corpori præstat, depradicare animo præſu-
 mam, de nullâ apud prudentes irriſione mihi metuo futurâ.
 Esto Chlamydem Xerxis & aurum Barbari, reliquaq; mune-
 ra nihil ad platanum pertinencia fruſtra pependiffe, neq; ullum
 momentum ad arboris pulchritudinem atculiffe ; instituti ra-
 men præsentis nec me pigebit, nec pænitibit, hac siquidem V.P. de-
 scriptio ad ejusdem distinctam faciet, ut ſpero, noticiam, pulcher-
 rimuſq; repræſentabit ordinem. Nunc igitur Fe, o Cœleſtis
 JANE humiliter rogo, ut aperias intellectus mei fores,
 quæ Portam & per ipsam naturæ penetralia ſubeam
 feliciter !



DISSEMINIS
De
VENA PORTÆ.

THES. I.

IN Tractationis limine statim se mihi sistit referan- *Vena Portæ*.
dum *Nomen*, apud Græcos & Latinos obveniens. Et *taNomen*
Græcis quidem Venam propositam $\pi\mu\lambda\eta\gamma$ vocari no-
tum est ex *Ruffo*, in lib. de Appellat. XXIX. scribente: $\pi\mu\lambda\eta\; Gracum$,
 $\eta\pi\alpha\tau\Theta\; \eta\;\phi\lambda\epsilon\psi$, $\delta\iota\;\eta\;\pi\phi\phi\eta\; eis\epsilon\rho\chi\sigma\tau\alpha\iota$; similiter $\vartheta\pi\tau\alpha\iota$,
sacrificulos, victimarios, popas, hepatis venas $\pi\mu\lambda\alpha\iota$
nominâsse docent *Casauboni Note in Capitolinum*, citan-
te *B. Casp. Hoffmanno in Comment. ad Gal. lib. IV. de Vsu par-
tium n. 189*; à Galeno etiam eandem Venam in singulari
nunc simpliciter $\mu\epsilon\gamma\alpha\lambda\eta\gamma$, nunc cum additione $\pi\phi\phi\pi\mu\lambda\alpha\iota$
 $\eta\;\epsilon\pi\iota\;\pi\mu\lambda\alpha\iota$ appellarī, ex *IV. de Vsu partium ultim.*
V. ejusdem II. de Anat. Venar. I. VI. Exercit. Anat. VIII.
& *X.* constat; aliquando verò $\pi\epsilon\lambda\epsilon\chi\alpha\mu\alpha\iota$ (quod cau-
dici arboris similis sit, cùm ab eâ tanquam $\pi\epsilon\lambda\epsilon\chi\alpha$ truncō
rami ad plerasque infimi Ventris partes mittantur) dici,
ex VI. de locis affectis IV. videre est, confer. *Lind. Med.
Physiolog. p. m. 807.* $\pi\mu\lambda\alpha\iota$ autem designant monticulos
sive eminentias in cava hepatis parte obvias, (quæ $\eta\pi\phi\phi\pi\mu\lambda\alpha\iota$
Hippocrati in fragmento lib. de Anat. dicuntur)
juxta quas, quia Venæ, considerationi nostræ subjectæ,
truncus ex hepate erumpit, inde etiam denominatio-
nem eadem nacta est.

II.

Latinis *Vena Portæ* communiter indigitatur, vid. *Latinum,*
Ex-

Excellentiss. Dn. D. Brunonis, Patroni, & Praeceptoris mei iugi
observantia prosequendi Lexic. Medic. p. m. 949, (quas enim
cum tota Asclepiadum familiâ Galenus græcè τύλας, hi
portas nuncupant,) aliis *Porta jecoris*, *Vena magna ad por-*
tas Hepatis, item *Vena Janitrix* audit. Ab interpretibus
Arabum *Vena Lactea*, & *jecoris manus* salutatur, quasi la-
cteum arripiat succum, hepaticque offerat. Vid. Andr.
Vesal. de Corporis Humanæ Fabrica Lib. III. cap. V. p. 449. Casp.
Bauhini Theatri Anatomi. Lib. I. Cap. 15. p. 49. Guern. Roflincii
Germani- Dissert. Anatomi. Lib. V. Cap. 15. p. 863. Germanis usita-
tum nomen est die Pfort. Ader.

III.

Recluso V. P. nomine progredior ad ejusdem es-
sentialem *definitionem*, vel aliqualem potius *descriptio-*
nem, eamque sequentem: *Vena Portæ est pars corporis mem-*
V. P. Defi- branacea cava oblonga, substantiam à V. C. aliquomodo peculia-
ritatem nacta, quæ principio ore vero umbilicalis summo in sinum
mox expanditur amplum, atq; inde in radices divisa plures per
hepatis substantiam dispersas, mox inferiora versus in unum
truncum per ejusdem τύλας erumpentem collecta, tandem in
ramos hinc ramulos sive propagines minores minimasve di-
remta, infimi ventris visceribus, individui conservationi desti-
natis, inservit.

IV.

Defin. Ge- Genus definitionis occupat pars corporis, idq; Venæ
nus. Portæ rectè attribui nullus negaverit, sive descriptionem
partis latiorem Galenicam Lib. I. Meth. medendi 5. legen-
dam, quâ pars nuncupatur omne id, quidquid totum com-
plet & absolvit, sive strictiorem Fernelianam, quâ pars vo-
catur corpus toticoherens, communiq; vitâ conjunctum, & ad
Differen- illius usum functionemq; comparatum, eidem ritè applicave-
tia specifi- rit. Differentia Specifica à V. P. substantiâ quodammodo pe-
culia-

culiari, ortu & distributione singulari, nec non usu de-
 sumta est; de quibus tribus posterioribus cum in sequen-
 tibus demum sermonem ordo à me exigat, hic de priori
 tantum quædam subiecte placet. Nempe enim *V. P. V. P. sub-
 substantiam* in eo quidem cum aliis Venis communem ob-
 stigisse sensus monstrat, quod sit membranacea è mem-
 branæ quadruplicis complexu efformata, quarum exti-
 ma fibris nerveis & rectis in longum, serie licet minus
 regulari, protensis confert; cui subjecta vasculosa altera
 sanguinem suppedit vitalem, tertia glandulosa flui-
 dum fibrarum nutricium & humectans segreget, quarta
 deniq; & intima planè muscularis fibris annularibus do-
 nata, motu suo, quasi peristaltico, cursum sanguinis redu-
 cem ad cor non nihil sublevet, sicut hoc de Venis in com-
 muni docet *Borellus de motu animalium part. 2. c. 4. propo-
 sitione 32. allegat. in Bibliotheca Anat. part. 2. p. 933. Bohnius
 Circuli Anatomico-Physiolog. Progymnas. 6. pag. 107 Nihilo-*
 minus tamen ejusdem substantiae habitudinem in Venâ
 Portæ multo crassiorem, nubili obscuriorisque coloris,
 sese exhibere, quilibet cum *Glissonio Anat. Hepatis cap. 24.*
 primo cognoscet intuitu, accedit namque recensitis tu-
 niciis *capsula communis* sive vagina Portæ truncum & ra-
 dices cum ramis biliaris involvens, (eâ parte quâ por-
 tam tegit crassior, septuploque minimum latior, quam
 quâ ramos obducit biliarios, *vid. Glisson. lib. cit. cap. 24. &
 figura ibi addita,*) quæ villis instructa muscularibus, arte-
 riolisque ab arteriâ hepaticâ dimissis, tum nervulis à ra-
 mi mesenterici plexu superiori, hepatico *Willisio in Neu-
 rologia cap. 27. dicto*, atque à nervo vago amandatis, præ-
 dita, συστολῶν & διαστολῶν vices, minus licet ac cordis con-
 spicuas & quasi vermiculares reiterat, sanguinisque in
 hepar ingressum promovet. Vnde patet, Portam tuni-
*Capsula
 communis*

carum robore arteriis simili non tantum pollere , & pulsum, arteriis alias proprium aliqualem edere , sed & in adducendo & per hepatis substantiam distribuendo sanguine arteriae officium præstare , ut hinc arteria hepatica à cœliacæ arteriæ ramo dextro propagata , in capsulam communem & vasa biliaria absumatur , neque hepatis substantiam ex observatione *Glissonii cap. 42.* uspiam attingat, certissimo indicio , Portam arteriæ vices gerentem illi jamdum prospicere , ἀνερθῶς ita docente **MAGNIFICO D.N. PRÆSIDE in Dissertationibus suis Anatomico-Physiologicis ad Hornii Microcosmum annotatis** , p. 112.

V.

V.P. Principium.

Substantiâ V. P. ως τύπῳ delineatâ , ad ejusdem **principium** me recipiam indagandum : Solent verò sectionum Magistri præeunte Dictatore *Galenο principii* vocem tripliciter accipere : (1) pro **principio γενέσεως originis** , à quo tanquam materiâ oriri quidpiam dicitur , (2) pro principio διοικήσεως distributionis , dispensationis , officii , à quo aut facultas aut communis materia manant , (3) pro principio πρώτης radicationis , in quo vasorum radices , quæ nutritionis principia sunt , apparent , expositore *Andrea Laurentio Histor. Anatomi lib. IV. quæst. I. exercit. VI. p. m. 179.* ; quam ipsam tamen distinctionem quia *Casper. Hoffmannus p. m Comment. in Gal. lib. IV. de usu partium num. 194.* bellum pronunciat commentum , & *Adrianus Spigelius lib. V. de Humanis Corporis fabrica cap. 3.* neutiquam Venis ullum ex his principiis commodè attribui posse declarat , idcirco ego controversiam illam de origine venarum hīc equidem meam non faciam : interim quando ad mentem revoco , venam umbilicalem primò omnium in portæ effiguratione conspici , hepar etiam ipsum die septimo

& de-

& decimo, teste *Harveo*, ejusdem propaginibus accrescere, quemadmodum uvæ racemus, germina virgultis, incipiens spica gramine; dein ex observatione *Glysonii Anatom.* *Hepatis cap. 25.* in embryone venam umbilicalem maximam sanguinis vim ad hepar apportare, & quodammodo V. P. munus exsequi, utpote quæ in eo præsertim nuper formato exilis admodum nulliusque fermenti momenti conspicitur; hæc inquam quando ad mentem revoco, licebit mihi sano sensu *venam umbilicalem V. P.* pronunciare *principium*, scilicet *ριζώσεως* sive *radicationis*, similitudine desumpta à radicibus plantarum; quemadmodum enim illæ harum principia dicimur entur juxta *Glysonum Anatom.* *Hepatis cap. 36.* ita & vena umbilicalis, dum ab eadem primum sese exporigere videtur Venæ Portæ arbor, ipsius principiū salutari poterit: Et sanè hæc sententia applausum omnium facilem habitura esset, si *Malpighii suspicio in appendice Obs. de ovo incubato annexâ Anatomiæ plantarum* plenè confirmata esset, ubi statuit, plexus integros vasorum umbilicalium præexistere incicatriculâ, & subintrantis icoris turgescientia ac motu manifestari, ipsorum areas extendi, ac trunicos manifestari.

VI.

Juvabit verò nunc dictæ *venæ umbilicalis* ortum, *Vena umbilicalis progressum, distributionem & usum* ulterius prosequi. Ortu ei, clarioris tantum doctrinæ gratia, assigno in colliquamenti areâ juxta cor, suscipiendo hepatis domicilio relicta, ubi inferiora versus protensa (conspicuâ postmodum in adulto hepate idcirco obveniente fissurâ, in fimbriâ ejusdem anteriori sitâ) quoisque corpusculi peripheriâ circumcincta est, simplici fertur ductu, umbilico autem transfallo unica quidem permanens in

homine, in vaccis autem ab Highmoro disquit. *Anatom. l. i. part. IV. c. VII.*, & in ovibus à MAGNIFICO D N. PRÆ-SIDE Ephemerid. *Natur. Curios Decur. II. Anni I. Observ. CLIV.*, geminata observata, cumque arteriis sociis funiculo umbilicali intorta, multisque quasi nodosis protuberantiis, (è venæ contortæ distensione laterali à contento fluido factâ enatis,) distincta, vid. Nicol. Hoboken *Anatom. secundina humana repetit. c. V. artic. 3. §. 18 p. 487.* tandem extremis propaginibus multiplicatis supra chorion membranam dimissis in placentam muliebrem
Insetio. vel brutorum glandulas uterinas & cotyledones terminatur; atque quamdiu ita comparata est, intra uterum & placentam vel brutorum glandulas uterinas & cotyledones à sanguine materno depositas portiones chyloso - gelatinoso - serosas, per arteriarum maternarum & umbilicalium fœtus motum, fibrarumque spasmoidicas quasi corrugationes, propulsas, ex spongiosis uteri lacunis, & acinulis, densâ congerie crebraque velut adunatione massam illam orbicularem placentam dictam, juxta Excellentissimum Drelincurtum systematis de humano fœtu part. I. perioche 26. p.m. 34. efformantibus, suscipit, atque cum arteriarum umbilicalium sanguine percolato & puriori cor versus fœtui offert; idcirkò etiam Th. Cornelius Physiol. Progymnas. 5. p.m. 204. monet contemplatione dignam esse venæ umbilicalis magnitudinē, quæ tanta est, ut consortium arteriarum amplitudinem longè multumque superet; scilicet, quia non modo universus ille sanguis, qui per arterias in placentam influit ad cor fœtus relabitur per umbilicalem venam, sed etiam non exigua albuginei lentoris portio, quæ à jecore uterino secreta venarum oscula subit, unà cum sanguine illo advehitur, & cordi ceu alienati

menti promoto offertur, unde in omnes corporis partes per arterias distribuitur. Quamprimum autem in dias has luminis auras edito fœtu funiculus umbilicalis vinculo interceptus nec fluidi nutricii nec sanguinei concreatui amplius vacat, humoris inclusi reliquiis intra venā umbilicalem, ex observatione *Excell. D N. D. HOFFMAN-NI Senioris Patroni & Praeceptoris mei jugi observantia devenerandi*, in concrementum vermiforme abeuntibus, in soliditatem compingitur ligamenti, cuius usus eximius habetur in hepatis detentione, ne dum corpus dorso incumbit ad posteriora delabatur, diaphragmatisque motum impedit; hinc eodem resesto, disrupto, vel alio modo dissoluto subitaneam mortem subsecutam esse, *Casp. Hoffm. Comment. in Gal. lib. IV. de usu partium cap. 13. & 14. p. 234. & seq. scriptum reliquit, & Blasius in notis ad Veslingii syntagma. c. 4. barbaris hoc in more positum esse notavit, novo scilicet crudelitatis invento genere ut morti dent hominem, umbilicum articulatim secantibus, hinc resecantibus, ut sic hepar ad posteriora cedat, diaphragma distendat, motum pulmonum impedit, & respirationem lædat, sicuti post *Andr. Laurentium lib. I. c. 8. & Fabr. Hildanum pars. I. Obs. 53.* pluribus differit *Mæbius in fundamentis Med. Physiol. p. 321*, subdens, *Hildanum* etiam id circò in hydrope umbilici apertione vereri, & potius suadere paracentesin infra umbilicum, de quâ operatione plura si lubet videantur apud *Jobum van Meckren Obs. Medico-Chirurgicarum cap. 50. p. m. 218. Thom. Bartholinus* verò arbitratur *Anatom. reformat. lib. I. c. XXXVII. p. m. 319.* historiâ, indubie fabulosâ, impulsu id scripsisse *Laurentium*, contrariaque, ait, exempla vidisse *Riolanum* experientissimum, si mors sequatur ex accidenti venire, læsis quoque interioribus & patulo ad rerum noxiarum penetra-*

¶¶¶¶(8.)¶¶¶¶

netrationem ostio; nec resecto umbilico collabi creditum Epar subitam mortem inferre, cum alio etiam ligamento valido à peritonæo idem suspendatur, confer.
Theoph. Bonet. sepulchr. Anat. p. 1620.

VII.

Sinus V. Visa venâ umbilicali considerandus venit *sinus ille P. oblong.* porta oblongus, in embryone propter ingentem sanguinis è vena umbilicali influxum amplior multoque magis conspicuus, à *Glissonio Anatom. Epatis cap. XXV.* delineatus, qui quidem à *Needhamio in disquisitione Anatomic. cap. V. p. 128.* pro altero corde habetur, easdem epati vires præstante, quas aut dexter ventriculis pulmoni, aut sinister corporis habitui, sive pro alveo, in quo colligitur sanguis, & unde postmodum distribuitur. Nempe enī sanguis ex venâ umbilicali sinui huic infusus diverticulum quoddam invenit, mox autem, sinu pulsante seque ope villorum capsulae membranaceæ ambientis motricium (à spiritibus animalibus per nervos & à plexu mesenterii hepatico Willisio dicto, & ipso pari vago illuc amandatos, nec non sanguine, ab arteriæ cœliaçæ dextræ propaginibus coronariarū æmulis affluente, actuatorum,) contrahente inde maximam partem exprimitur in *canalem venosum*, aliquali saltem usitatos hepatis canales subeunte, bilemq; ibidem deponente.

VIII.

Canalis venosus. Canalis enim iste à sinu modo dicto ferè ex adverso ostii umbilicalis venæ in Cavam rectâ protenditur, & eo loco, ubi diaphragmati necritur, penitus transit, vid. Fig. 1. *Glissonii lib. citatis cap. 33. addita, & Tab. XXIV. Anat. reform. Th. Bartholini;* ut adeò in fœtu, propter glandulosos hepatis acinos nondum perfectè elaboratos, idem certia veluti anastomosis sanguinis ex Venâ umbilicali susce-

suscepti præcipuam partem immediate Venæ cavæ infundat, usque dum excluso per partum fœtu uti umbilicalis Venæ ita etiam hujus canalis cavitas pariter occluditur, inque ligamenti formam addensatur. Non possum verò non id etiam observatione dignum ex *Needhamo* hūc adferre, scilicet in avibus nec venam umbilicalem hepar ingredi, nec tubulum venosum ex Porta oriri, sed unum continuum canalem cum umbilicali exhibere, qui hepar transrepens in se recipit sinum Portæ & tum demum in Cavam pergit.

IX.

Porrò ex sinu hepatico *radices porta* per hepatis gremium disperguntur, *majores* quidem aliæ certo numero *V. P.* definitæ, aliæ ab his propagatæ *minores*, & *minima* innumeræ : *majores* præeunte *Glissonio Anat. Hepatis cap. 25.* quinq^z numerantur, quatuor earundem longè lateq; per sinum hepatis, quintā autem versus *gibbum* distributis : Et *prima* quidem *V. P. radix*, tūm quòd Venæ umbilicali (maximam sanguinis vim ad hepar apportanti, & quodammodo totius venæ portæ munus inter prima formationis initia exsequenti,) connexa, tūm quòd amplissima existat, primatus dignitatem promerita, *minores* radices plures & capillares fibrillas in totum sinistrum anterioremq; hepatis quadrantem dispergit, & quòd firmius hæreat, atque ligamenti umbilicalis (dum munere suo fungitur) vellicatus fortius sustineat, in utramque hepatis partem propagines ulteriùs emittit, quales etiam porrò in sinum hepatis diffusæ, ad membranam hujus excurrunt, ac eidem annexuntur, indeque reflexæ venulas suas capillares in substantiam parenchyma veteribus distam, disseminant. *Secunda radix* primæ dextrorsum adjacens, alterique hepatis quadranti in dextro ejus latere inser-

inserviens superiori paulò minor , tertia tamen quartaque amplior conspicitur, propaginibus quibusdam vesicæ felleæ, & quintæ inferiori radici cohærens, toti hepatis cavo per quadrantis sui ambitum capillares venas supereditat, quin etiam propè ejus confinia gibbo quoque illius famulatur. *Tertia quartaq; radix* (quacunque earum termini exporriguntur) Epatis simo præcipue propiciunt, nempe duobus ejus interioribus quadrantibus dorso proximis , propè ultimos autem earum regionum fines vasa capillaria non minùs in gibbam quam cam vam illius partem distribuunt. *Quinta radix* in simum hepatis haud dispergitur, verùm superiora versus excurrens, gibbi partibus elatioribus maximeque crassis (in dextro præprimis latere) famulam præstat operam.

X.

Recensitæ igitur hæ radices cum propaginibus suis innumeris , ex multiplici divisione & excursione natis, (vid. *Figura I. elegantissima Tabul. XXIX. in Clar. Kerckringii Spicileg. Anatom. p. 189.*) æquabili proportione ad omnes hepatis partes distribuuntur, cumque ductus hepatici biliarii proximè accumbentibus ramis capsulae communis exterius ambientis amiculo inclusæ adeunt quosvis hepar componentes glandulosos acinos : ita ut liquor coloratus mediante siphone *Græffiano* V.P. truncō injectus per lobulorum interstitia egregiè transpareat, quemadmodum in brutorum juniorum hepate nobis præteritâ hyeme *Excell. D N. PRÆSES* demonstravit.

XI.

Anastomoses in ter radi ces V. P. & V. C. Jam Verò cùm Venæ P. radicibus intra hepar reconnitatis Vena Cava similibus numerosissimis occurrat, sam arripuerunt rerum Anatomicarum scriptores , ut utrasque mutuò coire docerent , ingeniosè magis quam verè

verè excogitatis quinq; *ἀνασομωσεῶν* speciebus : quarum
 prima sit parallela, cùm rectis lineis ramuli extremi in vi-
 cem junguntur ; secunda transversa , dum trunci, cum
 truncis; tertia cruciata,cùm trunci truncos vel rami de-
 cussatim transcendunt ramos; quarta mixta ex cruciatâ
 & obliquâ constans;quinta obliqua& angularis,cùm ob-
 liquè ad angulos rami inferuntur. Et in talibus quidem
 defendendis *Vesalius*, *Laurentius*, *Conringius*, *Highmorus* &
Mæbius singularem impenderunt operam , sed præter-
 quam quòd post Anatomicū celebrem *Gabrielem Fallopiū*
 immortale illud Angliæ decus *Harveus* sumâ etsi adhibitâ
 diligentia istiusmodi anastomoses nullas deprehendere
 potuerit, ceu patet ex ejusdem *Exercit. I. de circulatione san-
 guinis*, quod etiam confirmat *Godofred. Bidloo Anat. corpor.
 humani Tab. XXXVIII. Fig. 2.*, *Glissonius* in nunquam satis lau-
 dandâ *Epatis Anatomia c. 33.* eruditè ostendit , quomo-
 do à triplici saltem sibi visâ connexionum vasorum in
 Epatē differentiâ, *ἀνασομωσεῶν* specie illusi fuerint Ana-
 tomici ; mereturque omnino huc apponi brevis, ast eru-
 ditissima de iisdem *Marcelli Malpighii in cap. 2. de hepa-
 te &c.* : *Quoniam innumeri sunt*, is scribit , *Epatis lo-
 buli hinc inde vasis appensi, inde est, ut necessario in quamcunq;
 partem dirimantur surculi, & ita superequitationes, incrucia-
 tiones, & similes contingant conjunctiones :* succedit etiam
 apertis vasis crebra foramina conspicit , que nihil aliud sunt
 quàm vasorum origines & hiatus, que anastomosis specie
 multis imposuere, sicut in pulmonum vasis accidit, ita ut cordatis
 etiam viri decepti sint. Et sanè, ut alia mittam argumen-
 ta, experimentum à *Glissonio* l. c. factum evidentissimè
 demonstrat , radices V. P. cum V. C. radicibus minimè
 mutuis anastomosibus junctas, sed glandulosos acinos,
 quibus hepatis moles componitur , inter advehentia &

revehentia vas a medios esse, inje^cto siquidem in Portā li-
quore aliquo, nempe vel aquā simplici calidā vel lactis
pauxillo coloratā, dum idem ad V. C. & ultra assurgit,
sanguis omnis non tantū ex Epate eluitur, verū
ejusdem substantia, elutriatā purpurā, similem immissio li-
quori colorē induit, quod nullo modo fieri posset, si im-
mediatus ex uno in alterum vas transitus esset. Neque
verò bilis etiam à sanguine colatoria secretio, de qua
mox mihi sermo erit, peragi posset, si anastomoses ex
Portā in Cavam immediate sanguinem transfunde-
rent.

XII.

Vsus radī- Proximum igitur est, ut Radicum Venæ Portæ per
cum V.P. epar distributarum usum exponam. Nimirum quia ex
antecedentibus satis illucescit, dictas radices cum Venæ
Cavæ radicibus intrà Epar mutuis anastomosibus neu-
tiquam copulari; quin potius *autochthona* compertum ha-
betur, illas extremis suis propaginibus ad glandulosos
epatis acinos, ex quibus lobuli componuntur, hiare, *vid.*
Godofred. Bidloo Anatom. corpor. human. Tab. XXXVIII. Fig. I.,
simul autem arctissimè accumbere pori biliarii ramifi-
cationibus eodem modo distributis, & communis capsu-
læ involucro unà comprehensis, hinc probabiliter con-
cludere licet, usum radicum Venæ Portæ esse, ut arteria-
rum vices gerant, sanguinemque ad acinos glandulosos
epaticos advehant, mediante percolatione ibi repur-
gandum à bile, (aqueas, oleosas sulphureas, salinas
atque terreas sanguinis & chyli particulas, in texturam
saponariam coalescentes, materiam constitutivam ha-
bente,) mox dehinc pori biliarii epatici vesiculæque fel-
leæ eosque exorrectos tubulos excretorios subeunte.
Dixi sanguinem mediante percolatione repurgari à bi-
le,

le, non equidem ignarus, quosdam Doctores existimare, sanguinem per modum fermentativæ cujusdam alterationis ex parte talem immutationem sub sui per epatis glandulas transitu suscipere, quâ formaliter demum in bilem abeat, quæ texturæ suæ specialis ratione non nisi orificiola pororum cholidochorum ingredi valeat; idq; ex eo probare: 1. quòd bilis ante ingressum in epar, nec amarore nec alio indicio in sanguine sese prodat, 2. parenchyma epatis singulare apparenter majori usui, quam simplici transcolationi destinatum esse videatur. At enim verò sicuti ad primum facilis est responsio, regerendo, bilis amarorem aliasque qualitates tunc haud sese prodere, quia ejusdem particulae constitutivæ inter balsamicas aliasve sanguinis particulas adhuc dispersæ & interfusæ latent; ita ad secundum sciendum, ex parenchymatis veteribus dicti epatis peculiari structurâ fermentalem virtutem non statim colligi posse, quatenus cuilibet secretioni peculiaris visceris secernentis organisatio necessaria est. Porrò (eruditissimè ita dissecente Borello de Motu Animal. Part. II. Propos. CXLV. alle-
gat. in Bibliothec. Anatomic. Part. II. p. 998.) difficillima & vero minus similis melius consideranti apparabit talis fermentatio, quia oporteret, ut in glandulis jecoris resideret succus fermentatius ejusdem naturæ, scil. aquæ amarus ac bilis est, vel aliunde deportaretur; utrumq; autem ab experientiâ refellitur: nam substantia glandulosa jecoris est dulcis & suavis saporis, nec vasa aliunde in jecur deferentia uspiam apparent. Adhac in vasis Vena Porta & in poris strictissimis glandularum epatis videtur difficile, ut in motu transitorio sanguinis absq; ullâ quiete conturbatio & ebullitio fermentativa fieri possit. Interea pro mechanicâ secretione omnia bellè militant; nam adest vis motiva, quæ est impulsio sanguinis facta à com-

pressione abdominalis & aëre inspirato, adest motus continuus sanguinis, adsunt subtilissimi canales Portæ & pori glandularum, nec desunt duo ordines vasorum receptioni destinatorum, ergo nemo negabit esse possibilem & insuper faciliorem, & ideo potius Mechanico opificio, quam fermentativo opere secretionem bilis fieri credibile est. Hæc Borellus.

XIII.

*Truncus
V. P.*

Consideratis Venæ Portæ radicibus intra epar quasi sepultis, nunc ordo postulat, ut in ejusdem *Truncum* inquiram; hic verò postquam à sinu inferiora versus exorrectus semipollicari circiter longitudine progressus est, ex Epate juxta duas eminentias πύλας cognominatas, proximè subter (aut paulo ultra) exilem epatis lobum erumpit, indeque ulterius descendens paululum obliquè nonnihil versus lèvam deorsum sub duodeno fertur, sedem stabilem suprà vertebrae nactus, atque varias de se amandat *propagines*, sanguinem adducentes pleno ubere Epati infundendum. Propagines autem eas inter i. suspensoria, à Gabriele Fallopio primùm visæ, rani suspendentes inveniuntur, unde etiam principis observatoris de foria. iisdem verba hūc afferam, quæ leg. in *Observat. Anatom.*

Eiusdem propaga-
ries suspē-
foria. pag. 443. Aliquando, is inquit, reperiuntur rami venarum à porta trunco per epar disseminati, qui ab extremo apice si-
nistra fibre ex hoc viscere egredientes, & per illud ligamen-
tum, quo in illo latere hepar aliquando septo transverso
jungitur, repentes atq; ipsi septo communicati, descendunt
per posteriora ad dorsum usq;, ibiq; junguntur sub pancreo
cum quibusdam aliis venis, ab eodem portarum trunco extra
epar oborti: an cum hisce eadem sit propago Venæ Por-
tæ, quæ cum venis septi unitur, ceu memorat Eustachius
Rudius de Renum administratione cap. 41. pag. 133, in medio
relinquo, id saltem addens, suspensorias illas dictas ve-
nulas

nulas sanguini à diaphragmate recipiendo , & ad truncum portæ reducendo potissimum inservire, suspensiōni verò epatis nonnisi imaginariae vacare. 2. à Trunco Portæ prodeunt *gastroepiploicae* fundum ventriculi dextrum supernè , & epiploen infernè adeuntes. 3. *Intestinalis* per duodeni longitudinem excurrens, quandoque à ramo mesenterico exortum naēta. 4. *Cystica gemella* Vesalio dictæ , in vesiculæ felleæ cervicem & corpus distributæ, capillorum instar exiles , ideoque venulis albagineam oculi tunicam pingentibus comparari solitæ. 5. *Gastricae*, & quidem ad differentiam aliarum communitate hoc nomen obtinentium , *dextra* Bauhino in *Theatr. dextra.* *Anatomic.* lib. I. cap. XV. p. 50. vel *pyloricae* Spigelii de *human.* corporis fabricâ lib. V. cap. 5. p. m. 161. nuncupatæ, in posticam pylori partem dorsum respicientem disseminatae. Harum autem à numero 2. hucusque recensitarum venularum usus est , ut sanguinem à partibus, quas ambient, ad truncum Venæ Portæ , secretis tamen prius operis glandularum minimarum vel aspredinum glandulosarum respectivè lymphaticis, oleosis pinguibus , & biliosis heterogeneitatibus, reducant ac revehant.

XIV

Atque hinc *Truncus* Portæ ad lœvam corporis partem aliquantum vergens findit in ramos duos insignes, alterum sinistrum elatiorem & minorem, dextrum humiliorem & majorem alterum: Sinister *Splenicus* dictus *Ramus V.* P. *Splenius* omenti membranaceo-pingui & pancreatis glandulosâ *cus.* conglomeratâ substantiâ suffultus transversum ad linem abit , intereaque tam *ante* quam post suam divisionem , in ramulos excurrit plurimos. Et *ante divisionem* quidem, à sede suâ elatiore dimittit : 1. Venam *gastricam* *Vena gasterior* minorem sive sinistram in ventriculi gibbosam partem stricam mi-

major

posteriorem paucâ sobole distributam ; 2. *gastricam magorem* ob amplitudinem cognominatam, sub ventriculo ad orificium ejusdem sinistrum obliquè delatam, moxq; in tres ramulos divaricatam , quorum bini utrinque ventriculum accedunt , tertius medius speciatim orificium ventriculi sinistrum coronæ instar ambiens venam coronariam, stomachicam speciali nomine insignitam, constituit. A sede autem *humiliori* ablegat : 1. venam *epiploicam dextram* graciliorem , deorsum ad dextram omenti membranam inferiorem , & ad colon ei coñexum surculos derivantem; 2. *epiploicam posticam* capaciorem,in duos ramulos separatos ut plurimum subdivisam , ex quibus surculi deorsum ad omenti membranam, qua colon instar mesenterii dorso allegat , & coli partem excurrunt ; 3. *pancreas* sive *pancreaticas* multipli- ci sobole per *pancreas* disseminatas. Circà Venarum harum *usum* non aliud monendum obvenit,quàm quòd *gastrica* cum sanguine , ex arteriis numerosâ sobole ventriculi ollæ membranaceæ antea affuso , & relictis ibidem intra crustæ mucosæ vel tunicae vasculo-glandulosæ particulis lymphaticis fermentativo - menstrualibus, paulatim ad ipsas recollecto , alimentorum(quin & certo tempore medicamentorum) vim spirituosam, per digestionem & extractionem fermentalem exaltatam, suscipiant , breviorique pro citâ virium restauratione viâ ad epati propinquum cor deducant ; *epiploica* autem similiter sanguinem revehant , sed oleosis pinguedinis globulis,intrâ stirias lobulosque membranaceos omenti secretis, orbatum ; pari etiam munere defungantur *pancreatica* in sanguine ex *pancreate*, lymphæ propriæ priùs peractâ ibi quadantenus secretione, reabsorbendo.

*epiploica
dextra
postica**pancrea-
tica
Earum
sus.*

XV.

Ordine nunc indagandi succedunt ramuli , quos
ramus plenius Lieni approximans post sui in *ramum superiorem & inferiorem* divaricationem à se dimittere solet. Nempe enim à *ramo superiori*, modò ante quam liene ingreditur , modò quando jamdum ingressus est , rarò unus , sæpius geminus vel triplex (imò tergeminus aliquando *Rofincio* visus) emergit surculus, communiter *vas breve, venosum Spigelio*, diestus, brevissimo namque tra- *Vas bre-*
 mite in homine à Liene ad sinistram fundi ventriculi ve-
 partem tendit , nonnunquam altius etiam ad orificium
 sinistrum usque assurgit : Cujus singularem usum ta-
 met si *Laurentius Hister. Anatomic. lib. IV. c. 4. & Bauhinus*
Theatr. Anatomic. lib. I. cap. 15. aliique plures constitu-
 ant , quòd ad ventriculi fundum & orificium sinistrum
 effundat melancholicum succum naturalem , aciditate
 suâ torpescensem appetitum excitare aptum , quemad-
 modum alias acetosa labentem ventriculi tonum re-
 staurare creduntur ; circularis tamen sanguinis motus
 modernis Naturæ consultis sagacioribus aliam prorsus
 monstravit viam, scil. per *vas illud breve humorem* non
 in ventriculum , sed potius à ventriculi nutritione re- *Ejusdem*
fluum versus Lienem ferri, quam ipsam etiam peculiari *usus.*
 experimento visui patulā exposuit Anatomicorū nostri
 seculi facile princeps *Marcellus Malpighius de Liene* cap. VI.
 p. m. 214., digno, ut h. l. celeberrimi Viri verbis referatur:
Ligato splenico ramo libera adhuc comes arteria permaneat, ita
ut propulsus sanguis à Liene refluens impedit à inveniat viam in
itinere ad jecoris portas; ligentur interim portiones vasorum brevium
propter tunicas ventriculi, ne sanguis à comitibus arteriis in ipsum
*irrumpat, vel manus digitis compresso vase brevi versus spleni-*cum truncum sanguis exprimatur, etenim licet impense surgeans**
liens

lien & ramus splenicus non tamen unquam à liene ascendet sanguis per continuatum vas breve in ventriculi fundum, sed impediente valvula in hiatu ejusdem vasis in splenicum ramum detinetur, donec soluto vinculo injecetur respiatur, vacuâ semper & flaccidâ interim permanente vasis brevis inter valvulam & ligaturam, seu digitorum pressuram, portione, conf. Richard.

Leveri Tract. de Corde cap. V. p. m. 208. & Celeberrimi Drelincurtii Experim. Anatomic. Canic. VIII. §. I. p. m. 24.

Neque est, ut quis sibi imaginetur, se veritate magis litaturum, si ex Helmontia Tr. de sextuplici digestione §. 29. mutuatâ loquendi formulâ dixerit, *splenem per vas breve fermentum de se inspirare acidum in cibos,* nam præterquam quòd is monendus esset, ut à metaphorico tali verbo obscurum per æquè obscurum exprimente sibi temperare malit, ne cum Doctore Helmontio locutiones metaphoricas in Scholis Galenicis passim damnante, ideo quòd natura troporum sit ignara, simili culpâ redarguatur, semita talis æquè impossibilis habetur, dum sanguis contrario occursu præsuppositum fermentum necessariò retundit & reprimit. Multo minus illud ex situ ventriculi gallinacei ab Helmontio Tr. calor effienter non digerit, sed tantum excitativè §. 30. allatum argumentum, quòd nempe hæ lienem circà stomachum unitissimè congestum habeant, ideoque & potenter digerant fermenti inspirationem evincit, cùm videamus in aliis pennatis splenē multum distare à ventriculo & epati proximiorem esse, canes etiam quorum splen à stomacho remotior est, ossa duriora feliciter digerere; quid? quòd Malpighius l. c. canem suum exfecto prorsus liene longè voraciorem vixisse, coctionemque optimè omnium etiam solidorum peragisse testetur. Ceterū an in statu præternaturali Lien sanguinem

grumosum aliaque recrementa per vas breve prædictum ad ventriculum eructare possit? sicuti ex Hippocrate, Riolo, Columbo, Valverdâ, & Riverio congesta à Rolfinio Dissert. Anatom. lib. V. cap. XVI. exempla probare videntur, consentiente πολυμαθεσάτῳ Conringio lib. de sanguinis generatione & motu cap. XXII. violento quodam motu præter naturam id fieri posse, hīc ἐπέχω, quando in naturali Portæ historiâ recensendâ nunc occupatus sum.

XVI.

Sed è diverticulo in viam, & post expositum *vas breve* à rami splenici subdivisi ramo superiori enatum, circumspiciendæ erunt propagines, à ramo inferiori, humiliorem Lienis partem spectante, prodeentes. Deprehendimus autem hīc: 1. *epiploicam sinistram*, ad sinistram *Epiploica inferioris membranæ omenti* partem distributam, in *sinistra*. quibusdam saltē subjectis, potissimum quando epiplois postica angustior est, contemplabilem; 2. *gastroepiploicam sinistram* satis insignem superiori membranæ *omenti* fundoqué ventriculi à sinistris numerosā sobile intertextam; utraque autem in sanguine à partibus modō nominatis ad splenicum ramum reducendo operam suam insumit.

XVII.

Postquam itaque propagines hucusque recensitæ à ramo Venæ Portæ splenico natales suos habuerunt, reliquum sibi vindicat Lien, *Vena etenim splenica neutram* ab ingressu in Lienem disparate, ceu *van Horne in Microcosmo suo §. XLII.* vult, quin potius cum arteriâ & binis nervorum ramis sociis (sicuti in vitulino Liene in supero Collegio privato D N. D. P R A E S E S evidentissimè demonstravit,) junctim interiora Lienis subintrat, in

finum amplum dein sese expandens, per universum Lienis corpus extensem, ex quo etiam per lateralia foramina plurima, arteriarum & nervorum elongatas hinc inde propagines sequentia, sanguinem recipit, dum interea unà cum reliquis vasis capsulae velut membranaceæ, similibus foraminibus perviae, ab interiori & propriâ lienis membranâ introrsum reflexâ, & in tubum efformatâ oriundæ, involvitur. Vsus ergò *vena splenica* sive *canalis venosus splenici* est, ut per vasa arteriosa numerosissima ab arteriæ cœliacæ ramo sinistro propagata ad Lienis corpus membranaceum, in cellulas ac concamerationes plurimas (intra quas miro ordine collocatae apparent glandulæ ovali figurâ atque colore albo conspicuae,) velut apum favos distinctum, ac per excurrentes undique fibras nerveas innumeratas firmatum, affluentem sanguinem recipiat, & ad Portæ truncum ac consequenter ad Epar deducat. Succedit autem (laxa etiamsi sit Lienis substantia diverticulis plena) promptè sanguinis iste in canalem venosum ingressus, tūm quia impulsiva arteriarum protrusio præstò est, tūm quia fibrillæ nerveæ cavernosas lienis cellulas contrahendo suppetias ferunt.

XIX.

*Sanguis
gualem
mutatione
men in Li-
ene sube-
at?*

Interea facile præsagit mens quempiam futurum, qui ulterius ex me scire velit, qualem mutationem sanguis ex Liene nunc refluus inibi sustinuerit? quod quidem in tot Virorum doctissimorum dissensu determinare periculosa plenum opus aleæ est, quantum tamen aliquali mentis conjecturâ assequi licet, existimo sanguinem intrâ Lienem à spiritu quodâ salino volatili ex nervis copiosis suggesto, atq; in corporibus glandulosis ova libus per associationem spiritus vitalis sulphureo salini magis

magis exaltato, attenuari & quasi fundi, quò is promptius per impeditissimos epatis meatus dein pergere, atque bilem inibi deponere queat: Farent huic opinioni experientia à *Curiosissimo D. D. Bohnio* circà sanguinem splenicum instituta *Circul. Anatomico-physiolog. Progymn. XVIII.* in fine, ex quibus constat, variorum animalium lienes dissectos sanguinem minùs glutinosum & tenacem, fibrisque, uti vulgo loquuntur, omnino destitutum exhibuisse; ex venâ ac viscere dissecto promanantem sanguinem mineæ ac splendentis rubedinis fuisse, maximè quoque fluidum ac intensè purpureum per plures horas permansiſſe. Atque inde etiam facile judicare licet, quid de succi melancholici atrabiliarii intrà Lienem peragi creditâ secretionē statuendum sit, nullus siquidem istius præsentiam sufficienter demonstravit, cùm quæ de sapore lienis acido *Walæus* ejusdemque sequaces adstruunt, contrariis non tam autoritatibus quam phænomenis refutata sint, sal etiam vitriolaceum, si quodpiam unquam ex Liene prolectum, ignis potius produc̄tum & decompositum existat. Dein vix quispiam sanæ mentis sibi persuaderi patietur, recrementitum in aliquo viscere secerni humorem, ubi nullum vas excretorium eidem evacuando præsto est, natura quippe imprudentiæ insimulanda foret, si excrementum à sanguine separaret, illi ipsi ob defectum excretorii vasis denuo confundendum. Sed instabis ex *Willisio Tr. de fermentat. c. 5.* succum melancholicum, i. e. eodem exponente, particulas limosas ac terrestres, quæ sint crux velut fæx ac caput mortuum in liene repositum, non esse omnino inutilem, sed ob copiam salis fixi valde fermentescibilis naturæ, hincque non statim veluti bilem in cloacam rejiciendum, sed ulterius in liene coquendum, ut exalta-

tus in fermentum abeat, quod denuò sanguini commis-
sum ejus motum & volatilisationem promoteat; sicque
sanguini per arterias ingresso aliquid quidem detrahi,
scil. crudum melancholiæ succum, verùm eidem per ve-
nas refluо aliquid continuо addi, sc. eundem succum ex-
coctum & in fermenti naturam exaltatum. Necdum ta-
men omnis exhausta est difficultas, dubium quippe ma-
net, an limosæ ac terrestres sanguinis portiones, copiam
et si contineant salis fixi, idcirco valde fermentescibilis
sint naturæ? unde sal illud fixum esse cognoscatur? quo-
modo nominatae particulae tamdiu coërceri queant in-
trà Lienis cellulas, dum hasce sanguis arteriosus copio-
sissimè impulsus continuо perluit? an sufficiens pro fer-
mentatione lieni insit spatium? Maximè autem & toto
quod ajunt cœlo quondam aberraverunt illi Anatomici,
qui succum talem melancholicum à Venâ Portæ per *ra-
mum splenicum attrahi* sibi imaginati sunt; nulla namque
ejusmodi *avtistatas* unquam in rerum naturâ visa est,
nisi imperitoribus, & forsitan per somnum, ejus mini-
stris; illamque prorsus impossibilem valvularum in ra-
mo splenico à Liene extrotsum spectantium, sicque
omnem à Portâ ad Lienem sanguinis redditum excluden-
tium, positus satis arguit; quales quidem in brutis ani-
mantibus ad oculum patent, ab *Highmore* disquisit. *Anat.
corpor. human. lib. I. Part. III. c. 3.* descriptæ, & ibidem *Tab.
VII. Fig. I. b. & Tab. VI. aaaa* delineatæ, in homine vero
ob membranarum tenuitatem & in corporibus mortuis
decidentiam ac conniventiam à Venæ tunicis non tam
facile discernuntur; nihilominus æquè hic ac in brutis
sanguinis motum se habere sæpius institutum seq. expe-
rimentum, eodem teste *Highmore l. c.*, confirmat: Aperto
nimirum ramo splenico, in medio ejus inter lienem &

por-

portam ductu, si versus lienem ramum digito compres-
seris, ab inficto vulnere, parùm & languide à Portâ, tam
in vivis quam mortuis, sanguis effluit, si verò digitum
tollas & ad alteram partem sectionis rami splenici ver-
sus portam venam coarctes, violenter & affatim à Liene
effluit, imò per illud vulnus totam sanguinis massam
in vivis brevi temporis spatio irruere videbis, in emor-
tuis omnis, qui in liene & aortâ ad Cor usque fluxui
aptus est, per vulnus hoc facile effluet.

XIX.

Ceterū id circà ramum Venæ Portæ splenicum anno- *Anasto-*
tandum restat, inter ejusdem & arteriæ ramum superiorem mosis in:
paulo ante ingressum in lienem insignem *anastomosen* ter rami
occurrere, vid. *Jul. Caffer. Placentinus Tab. IX. lib. III. Fig. IV. lit. C.* ut cùm numero arteriæ venas in illo viscere *& arteria*
multū superent, pars aliqua sanguinis, priusquam lien ramū su-
ingrediatur, venæ amandetur, ne lien nimiā ejusdem op- *periorem.*
pressus quantitate, obturetur, & ab officio impediatur.

XX.

Atque inde gradum promoveo ad *ramū V. P. me-* *Ramus V.*
sentericum, splenico humiliorem, sed ampliorem, qui *P. mesen-*
quidem *ante sui divisionem* propagines duas dimittit: *tericus.*
1. *gastroepiploicam dextram* à dextris ventriculi fundum *Vena Ga-*
& omenti superiorem membranam perreptantem; 2. *stroepiplo-*
intestinalem ad duodeni medium & jejunii principium *ica dex-*
pertingentem, *Spigelio duodenam* idcirco dictam; postea *tra.*
verò mesenterio commissus in *ramos* rursus dirimitur *Intestina-*
duos, mediā mesenterii tunicā suffultos, & inter superio-*lis.*
rem atque inferiorem ejusdem pertransentes; hiorum
alter *mesentericus dexter*, mesenterii dextram occupans
partem, duplex in jejunum cœcum & coli partem abit,
atque numerosissimā de se sparsā sobole *Venas* producit
mesa-

V. mesa- *mesaraicas*; alter *sinister*, in sinistram mesenterii excur-
 raica. rens partem *Venam hemorrhoidalem internam*, sub recto
 Ramus intestino descendente, ejusque extremum sive anum
 mesente- aliquot surculis exiguis orbiculatim amplectentem, ut-
 ricus fini ster.
 Vena ha plurimum producit, quam ipsam tamen variante subin-
 morrhod de exortu, nunc à ramo Portæ splenico, eoque vel extrà
 dalis in lienem adhuc procedente, vel intra Lienem recepto
 serea. protendi, nonnunquam à mediâ trunci V. P. in ramum
 geminum divisione exsurgere Anatomici viderunt.

XXI.

Jam verò circà *Venas mesaraicas* amplius se mihi
 pandit campus, in quem excurrat exploraturus, quid de
 iplarum usù veteres, quid recentiores sentiant? juvabit
 tamen ordinis clarioris gratiâ earundem per mesente-
 venarum riurn ad intestina distributionem præmittere. Venæ
 mesara- igitur dictæ mesaraicæ principio à ramo mesenterico
 carum di- dextro sumto, primùm ex recensione nonnullorum
 stributio. Anatomicorum in quatuordecim ramulos, (qui tamen
 numerus haud perpetuus est, sed in diversis corporibus
 variat teste *Glosson. Anatom. Epst. cap. XXV.*) mox in pro-
 pagines minores inumeras fermè dirimuntur, quæ
 mesenterii membranis interceptæ versus intestina ex-
 currentes, atque hinc inde interjectis sustentæ glandu-
 lis, in ambitu, ubi intestinis subtenduntur, multos arcua-
 tos ductus, notante *Jacobo Henrico Pauli in Anatome Ana-*
tomie Bilsiana, à jejunî principio ad rectum usque effor-
 mant, à quibus ad intestina dimissi surculi, quo in loco
 arcubus inseruntur, densâ ut plurimum pinguedine in-
 farcti, lacteis multo minores existunt, & profundiora ha-
 bent diverticula, suntque instructæ valvulis ab *Harvejo*
 inventis, *Columbo* tamen jamdum visis, versus Portam &
 Cavam spectantibus, sanguinemque contentum ad in-
 testina

testina relabi prohibentibus ; conf. Th. Bartholin. *Ana-*
tom. libell. IV. c. 3. p. m. 607. Sed ad venarum mesaraica- Earundē
rum usum, quem Galenus lib. IV de *Vsu partium cap. 2.* usus.
 seqq. expressit verbis : *Quemadmodum bajuli*, inquit,
in civitatibus repurgatum in promtuario frumentum in ali-
quam communem civitatis deferunt officinam, concoquendum
& utile ad nutriendum mox futurum : Simili modo prius elab-
oratum in ventriulo alimentum venæ ipsæ (puta mesara-
icæ) deferunt ad aliquam concoctionis locum, communem to-
tius animalis, quem epar nominamus — & postea con-
cludit, venas istas non deducere solum nutrimentum ex ven-
triculo, sed attrahere simul & preparare, modo quo ipsum si-
millimo, quippe quæ natura ipsi sint adsimiles & primum ger-
men ex illo ducant. Hoc verò Galeni placitum unanimi
 ferme totius vetustatis suffragio comprobatum est,
 ut piaculo fuisset eâ ætate alias, quam Venas mesaraicas,
 constituere radices, alimentum attrahentes, & Epatis
 trunco advehentes. Verùm postquam nostro, quo per
 Dei gratiam vivimus, seculo clariori patefacto Anatomiæ
 sidere *Vena lactea*, *Erasistrato* olim apud Galenum
 per transennam visæ, leg. Galen. I. *An sang. c. 5. & 7.*
Anat. 16., à *Casp. Asellio* detectæ sunt, per has chy-
 lum ad receptaculum tendere Anatomicorum pleri-
 que voluerunt, non alio venis mesaraicis relictio
 munere, quam ut sanguinem per arterias mesen-
 tericas intestinis oblatum recipiant, & ad Portam
 reducant. Alterum autem Galeni commentum, quo
 voluit venas mesaraicas nutrimento sanguinis rudimen-
 tum inprimere, sicuti in dubium jamdudum vocavit
Vesalius, eō quod membranaceo & coriaceo veniarum
 corpori sanguificationis vis nulla insit, & si, quæ esset,
 album procuraret, in primis cum juxta ipsius Galensi
 axio-

axioma, quod mutatur, in ejus speciem, à quo mutatur, facies-
 sat; ita idem hodie penitus explosum est, conf: Gualter.
Charleton Oecon. animal. Exercit. IV. 4. Nec major veri-
 tatis species inest placito, quod Galenus lib. III. de fa-
 cult. naturalibus c. 13. posteritati scriptum reliquit verbis
 seqq: *Quid mirum est in his Venis, quæ medium spaciū inter-
 jecur & partēs circa ventrem occupant, duplex esse ministeri-
 um atq; usum, ita, ut cùm in hisce abundantia fuerit alimenti,
 per jam dictas venas sursum feratur in epar, cùm autem vacuæ
 sunt, nutriti q; avenit, per easdem ipsas ex eparate rursus tra-
 tur?* confer. ejusdem lib. IV. de Uſu Partium 19; rationi
 siquidem id prorsus repugnat, cùm duorum diverso-
 rum humorum motus contrarius in vasis adeò angu-
 stis nec locum habeat nec concipi possit, nisi quidem ca-
 nales vamarum minutissimos divisos esse, & chylo
 ascendi latus unum, alterum sanguini descendenti
 patere quis somniare velit, *Galen*o ipso dissentiente & lib.
V. de Hippocrat. & Platon. decretis c. 4. docente: *Naturam non
 iisdem vasis, nec iisdem meatibus ad materias semicoctas &
 plane confectas uti solere.* Nec est ut pro *Galen*i defensione
 utrumque humorum motum in venis mesaraicis, non
 quidem simul, interim diversis temporibus dari quis ad-
 struere velit; nam amabo unde probabit distinctum epa-
 ti ac venis mesaraicis pro sui nutritione assignatum esse
 tempus, quemadmodum enim continua fit partium ab-
 sumtio, sic perpetuā opus est restauratione & nutritione,
 hinc sequitur, & epar & venas mesaraicas uno eodem
 que tempore posse esse famelica, ac per consequens
 eodem tempore contrariam illam tractionem Gale-
 nicam fieri posse. Præterea durante sanguinis circula-
 tione nunquam vacuæ esse possunt venæ mesaraicæ,
 illo jugiter ex arteriis mesentericis in hasce succedente,

nullo

nullo etiam experimento hactenus legi demonstratum,
humore mintra venas mesaraicas contentum deorsum
tendere, sicuti contra eundem sursum potius ferri, & val-
vularum positus & ligaturæ clarissimè demonstrant.

XXII.

Quid *Galenus* & cum eo vetustas de Venarum me-
saraicarum usu sentierit tradidi, nunc agendum, quid præ-
sentis ætatis Doctores de eodem statuant, investigabo.
Hi igitur quemadmodum unanimi suffragio id negocii
venis mesaraicis attribuunt, ut sanguinem per arterias
socias mesenterio & intestinis affusum inde reducant &
epati offerant; ita vicissim ab invicem dislentiunt, dum
alii easdem chyli partem ex intestinis simul suscipere af-
firmant, alii, (solas lacteas pro chyli semitâ agnoscentes,)
negant. Nec destituunt utramque litigantium partem
argumenta: *Affirmantes* siquidem suam probant senten-
tiam, quòd: 1. Venæ mesaraicæ amplitudine conjuges ar-
terias longè multumque superent, documento certissi-
mo, præter sanguinem recentis alterius liquoris recepti-
oni illas dicatas esse, confer. *Borell. de Motu animal. Part. 2.*
propos. 199.; 2. dentur animalia, v.g. ex pennatorum fami-
liâ teste *Harvejo de generat. animal. Cornel. Consentino pro-*
gymn. 6. & *Brunnero Diatrib. de Lymph. cap. 8.*, quæ nulla
habent vas a lactea, ut præter mesaraicas nullæ aliæ in illis
excogitari poterint venæ, quæ chylum ex intestinis deducant.
3. sicuti venæ umbilicales ab ovi liquoribus suc-
cum alimentarem absorbent, ita & venæ mesaraicæ in
adulto corpore ab intestinis chylum suscipere queant:
4. quemadmodum ex aliis partibus v.g. pleurâ, pulmo-
nibus &c. præter sanguinem arteriosum excrementa va-
ria alliciunt venæ, eademque M. S. retribuunt, ita ex in-
testinis chyli etiam partem absorbere queant venæ me-

saraicæ.5. ex fide *Ludovici de Bils*, ligatis arteriis, venæ me-
saraicæ succo subobscuro & cinericio chyloso sese con-
spiciendas exhibuerint, similiterque ex observatione ex-
perimentalí Anatomici nulli secundi *Dn. D. van Horne*
ipsæ mesaraicæ venæ vinculo interceptæ chylo repletæ
visæ sint, argumento à colore illius humoris ducto : ete-
nim, sicuti *autóτης* testis *Schuyvammerdamius* in *Miraculo
Natura sive uteri muliebris fabrica notis* in *D. van Horne pro-
dromum illustratâ p. m. 29.* loquitur, *sanguis quandoq; velut
friatus & albis lineis permixtus, quandoq; ceu punctis notatus
occurrebat, & erat cùm nihil nisi purus chylus adesset.* In *Ve-
nâ Portæ*, idem subdit, *sepius chylum etiam non ligata
vidimus, & ex eadem extraximus, & plurimas mesaraica-
rum chylo repletas vidimus.* 6. tantilla exigua chyli portio,
quanta per ductum thoracicum ad venam axillarem &
cavam deducitur, minimè sufficiat continui sanguinis
per universum corpus agitati atque effervescentis di-
spendio, ut nec continuæ omnium partium detritioni
reficiendæ.

XXIII.

Negantes contrà inferunt, quòd: 1. venæ mesaraicæ in cavitatem intestinorum osculis suis non hient aucti-
pateant, nam si hiarent, nullo modo præcaveri posse,
quin sanguis in intestina, subsequente semper sanguino-
lentâ alvi dejectione, efflueret; 2. venarum mesaraicæ
oscula lacteis multo minora sint, & duas inter in-
testinorum tunicas, transversis semitis & capillarium
formâ altius insinuentur, 3. nulla causa probabilis detur,
cur chylus aliás albescens in ipsis venarū orificiis rubo-
rem contrahat? 4. *Paulus Barbette Medicus & Anatomicus
Amstelodamensis* compertum habuerit, si prehensum qua-
vis parte canis vivi intestinum utrinque ligetur, in me-
dio

dio autem hujus expromta mesenterica vasa tūm alba
tūm rubra aliquot itidem filo nectantur , post per
adaptatam fistulam flatus fortiter iniciatur , non
ligata sanguinea , sed sola lactea vasa intumescere.
S. demum *Richardus Louverus* gemino experimento
comprobaverit,totum chyli penum nullā aliā viā quām
per vasa lactea ductosque chyliferos in sanguinem in-
fundī , ambo quippe canes , quorum alterius quidem
commune receptaculum , alterius verò ductum chyli-
ferum , ubi intrà tertiam & quartam costam superiores
duo rami in truncum unum coēunt, ungue dilaceraverat
& perfoderat,tabe repentinā perierunt , ibi chyli duabus
libris in eo pectoris latere,in quo commune receptacu-
lum disruptum est, repertis , hīc pectoris illo claustrō,
ubi ductus iste perfractus est , chylo penitus replete
vīlo.

XXIV.

Jam verò in tantorum Virorum dissensu uti diffi-
cillimum mihi accidit certum calculum ponere , ita vix
citrà modestiæ labem ab alterutrā parte dissensum pro-
fiteri licebit : Licebit tamen hoc facere apud cordatos
veritatem magis quām viros,& non tam qui dixerint,
quām quæ dixerint,æstimantibus. Quapropter anceps
et si adhuc hæream , cuinam parti subscribere debeam?
ingenuè tamen fateor, argumenta illorum , qui venas
mesaraicas in consortium muneris pro chylo vehendo
assumendas putant, nondum omnem superare excepti-
onem. Etenim primò quod attinet venarum mesarai-
carum amplitudinem, ex eādem peculiare quid concludi
haud potest , cùm talis communis esse deprehendatur
aliis venis, arterias amplitudine ubique excedentibus,
tūm ob distensionem, quām à sanguinis elatere patiun-

cur faciliorem, tūm ob ipsius sanguinis promptiorem refluxum. Nec secundò ab omnibus concessum est, nulla in pennatorum familiā dari vasa lactea, cùm talia repe-
riri *Bartholinus de vasis lacteis* contrà *Harvæum* jura-
mento asseverare nullus dubitaverit ; esto tamen ibi
nulla occurrere, quid inde? alia etiam ibi glandularum
conglomératarum & conglobatarum conformatio, alia
ingluviei & ventriculi fabrica, alia liquoris gastrici con-
ditio, forsitan etiam peculiaris venarum mesaraicarum
constitutio, quippe *Cl. Brunnerus in Distrīb. de Lymphā*
& usū pancreatis in fine cap. VIII p. m. 114. e.g. in ansere, li-
gato inferiūs intestinulo flatum superiūs impulsu non
solum inferiorum anfractus pervasisse, sed & per aperta
oscula venarum mesaraicarum perrexisse. In *Venæ Por-*
tz ramos, totamque sanguinis lacunam perflasse, nota-
vit, quod & sibi tentanti successisse restatur *Excellentiss.*
Bohnii Circul. Anatomico-physiolog. pag. 167, minimè ta-
men in lactiferis flatu immisso mesaraicarum canales
subeunte. Nec tertio ab humoris alibilis per venam um-
bilicalem refluxu argumentandum esse videtur, venas
mesaraicas chylum quoque ex intestinis suscipere, cùm
ille jámdūm per colligationem fusus & attenuatus sit,
ac umbilicalium venosarum propaginum oscula imme-
diatè subire queat, hic autem viscosior adhuc dūm exi-
stat, nec mesaraicarum ora, utpote intra intestinorum
cavum haud hiantia, tām promptè subintrare pos-
sit. Quartò argumentum, quo provocabatur ad venas
ex aliis partibus unā cum sanguine recrementa depo-
sita sāpē reabsorbentes, nihil prorsus probat, cùm à sta-
tu præternaturali ad naturalēm ratiocinari haud liceat.
Quintò experimenta *Bilsii* & *Hornii* experientiā repetitā
neutiquam confirmata esse constat, sed & adhuc sub-
judice.

judice lis est, annon particulæ illæ chylosæ jāndum sanguini venoso ante tentamina illa instituta ex arteriis admixta sint, aut factâ etiam ligaturâ ex arteriarum ramulis minimis vinculo haud interceptis nihilominus ad venas pertigerint? quis insuper nescit, sanguinem per veniam sectam dimissum chylo in mucaginem albicantem concrecente sâpe incrustatum conspici? conf. Barolinus Spicileg. de Vasis lymphaticis II. cap. VII. p. m. 105. Marcell. Malpigh. Exercit. de structurâ viscerum, de Epate c. VI. & ab eo citatus Steno in respons. ad vindicias epatis redivivis. Bohnius circul. Anatomico-physiolog. pag. 171. Sextò exigua etsi videatur chyli in vasis lacteis & ductu chylifero pars omnino tamen sufficit sanguinis dispendio resarcendo, quemadmodum enim hoc paulatim fit, ita chylus quoq; sufficiens successivè per illa subministrari potest.

XXV.

Restat, ut de Vena hemorrhoidalis interna usū paucula adjiciam: hæc ipsa igitur in omnibus quidem hominibus sanguinis ab intestini recti substantiâ membranaceâ reductioni inservit, in quibusdem verò insuffit ex ramulis suis, propter fibrarum plus solito factam dilatationem dehiscentibus, sanguinem fundit hæmorrhoidalem, idque nunc certâ periodo, (qualia exempla recensent Schenckius lib. III. Obs. Med. 157. Zaceut. Lusitan. Prax. Medic. admirand. lib. I. Obs. 51. Lorichius Observ. lib. IV. cap. 10. Observ. II. Jung. Ephemerid. Natura Curiosor. Decur. I. Anni II. Observ. 192. & Anni IV. ac. V. Observ. 44.) nunc incerto tempore & intervallis intercedentibus longioribus aut brevioribus: acceditque talis fluxus non viris tantum sed & mulieribus, ceu eruditè demonstrat Clär. Frommannus in Tractat. singulari de Hamorrhoidibus Pars priori Probl. XXIX. pag. 131. utrobique cum sanitatis

tis singulari emolumento , quamdiu naturæ rectè operantis conatum sequitur , & intrà mediocritatis terminos consistit.

XXVI.

Et hæc de Venâ Portæ , ejusve distributione , ac usu
Sanguis dixisse sufficiat . Possem verò plurima adhæc afferre de
V. P. p. n. illis , quæ in statu præternaturali Venæ Portæ sanguis sustinet
affectus. παθηματα , sed cùm temporis & instituti præsentis ratio
 à proposito tali me avocet , paucissimis tantùm me expe-
 diam . Rationali igitur experientiâ omnium rerum ma-
 gistrâ constat , in *malo hypochondriaco* , literatorum hoste
 infensissimo , venæ portæ sanguinē dyscrasiâ acido-salina
 corrupti , in *scorbuto* , quinquaginta atris imani hiatibus
 hydrâ , nunc cruditate acidâ , nunc ranciditate sulphureâ
 coinquinari , in *lætero* particulis recrementitiis sulphureo-
 salinis biliosis depravari . Ecquis porrò ignorat , san-
 guinis Venæ Portæ motum liberum naturalem in *Ven-*
triculi , *intestinorum* , *epatis* , *lienis* , *pancreatis* , & *mesenterii*
inflammatione , *obstructione* , & *scirrho* intercipi ac impediri?
 in *purgationibus* tam naturalibus quam artificialibus
 eundem sanguinem fermentatione colliquativâ con-
 turbari? indubitatum denique est , *venæ hemorrhoidalis in-*
terna sanguinem aut nimiâ sui copia aggravativâ aut
 viscositate lentâ , aut grumelcentiâ *hemorrhoides in-*
ternas cæcas & *dolentes* reddere , aut sui abundantia di-
 stensivâ aut acrimonia salinâ volatili aut tenuitate icho-
 rosâ salsa nimium *hemorrhoidum internarum fluxum*
 concitare . Ego autem nunc rivulos claudio quia
 sat prata biberunt .

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

Liene malè affecto necessariò Epar debet
συμπαθεῖν.

2. Vesicantium & sinapismorum in epilepsia singularis & admiranda vis , præterquam quòd experientiæ suffragio comprobata sit , raione etiam demonstrari potest.
3. Datur motus cordis spasmodicus.
4. Febrium intermittentium fomes in ventriculo est.

S. D. G.



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

LIBRARY

l'acquisto di un libro necessario per il suo studio.
L'autore del libro è stato consigliato dal Consiglio
della Società di Encyclopédie e la sua pubblicazione
è stata autorizzata dalla Società di Encyclopédie
e si intende che il libro sarà pubblicato nel prossimo
anno. Il prezzo del libro è di 10 franci.
Il libro è stato acquistato con i fondi della Società
di Encyclopédie.

D. G. 2